EMPLASTRA.

EMPLASTRUM ADHÆSIVUM, ſive COMMUNE ADHÆSIVUM.

℞. Emplaſtri communis libras duas,
Reſinæ albæ uncias quinque.

Liquefactis ſimul leni igne, et bene miſtis fiat emplaſtrum.

EMPLASTRUM ANTIHY-STERICUM.

℞. Galbani colati libram unam,
Aſæ fœtidæ colatæ,
Ceræ flavæ, utriusque ſelibram,
Reſinæ albæ uncias tres.

Liquescant ſimul, leni igne, ut fiat emplaſtrum.

EMPLASTRUM CEREUM, ſive ATTRAHENS.

R. Ceræ flavæ libras duas,
Axungiæ porcinæ libram unam,
Reſinæ albæ ſelibram.

Liquescant ſimul leni igne; et ab hoc remota aſſidue agitentur, donec coeant in emplaſtrum.

EMPLASTRUM COMMUNE.

R. Lithargyri libras quinque,
Olei olivarum congium unum.

Adjecta aqua, coque donec oleum et lithargyrus coeant in emplaſtrum.

EMPLASTRUM DEFENSIVUM, ſive ROBORANS.

R. Emplaſtri communis libras duas,
Ceræ flavæ,

Reſi-

Reſinæ albæ, utriusque uncias tres,
Colcotharis vitrioli uncias quatuor,
Olei olivarum uncias duas.

Tere colcothar cum oleo, et cæteris leni igne liquefactis adjice.

EMPLASTRUM GUMMOSUM, ſive COMMUNE CUM GUMMI.

R. Emplaſtri communis libras duas,
Gummi ammoniaci colati,
Galbani colati,
Ceræ flavæ, ſingulorum uncias ternas.

Liquescant ſimul leni igne, et bene miſceantur, ut fiat emplaſtrum.

EMPLASTRUM MERCURIALE, ſive COMMUNE CUM MERCURIO.

R. Hydrargyri uncias octo,

Tere-

Terebinthinæ Venetæ uncias duas cum ſemiſſe,
Emplaſtri communis ſesquilibram.

Teratur in mortario hydrargyrus cum terebinthina, donec omnino evaneſcat, deinde paulatim addatur emplaſtrum leni igne liquefactum, et accurate miſceantur.

EMPLASTRUM SAPONACEUM; ſive E SAPONE.

R. Emplaſtri communis libras duas,
gummoſi libram unam;
Saponis albi Hiſpani uncias novem.

Emplastris ſimul liquefactis, ſapo raſus admiſceatur; dein coquantur paululum, ut fiat emplaſtrum.

EMPLASTRUM VESICATORIUM; vulgo EPISPASTICUM.

R. Ceræ flavæ libras duas,
Reſinæ albæ,
Axungiæ porcinæ, utriusque libram unam;

Olei olivarum uncias octo,
Cantharidum ſesquilibram.

CANTHARIDES prius in pulverem tenuem, dein cum oleo, tritæ, cæteris leni igne liquefactis et ab igne remotis, addantur.

FINIS.